



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola II. Honorii Papae III. Ad Episcopos Angliae. De accusatione
Richardi Dunelmensis episcopi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

EPISTOLA II.

HONORII PAPÆ III.

AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

De accusatione Richardi Dunelmensis episcopi.

*Honorius episcopus, &c. Sarisberiensis & Eiensis, &c. episcopis
salutem, &c.*

ITA nobis in odore bonaे opinionis fratrum & cooperatōrum nostrorum conuenit delectari, vt in pestilentib⁹ vitia non palpemus; cum non deceat pro reuerentia ordinis sustinere peccantes, quorum culpa tot eos dignos mortibus facit, quot ad subiectos perditionis exempla transmittunt, qui sola quaे prauitatis exempla conspi- ciunt imitantur. Hinc est quod cum de venerabili fratre nostro Dunelmensi episcopo s̄apius nobis insinuata fuissent quaे ab episcopali honestate nimium dissonabant, tandem * in conculcatis funibus clamoris excitati, vt non pateremur, cum perditione multorum, quiescere amplius in suis enormitatibus episcopum memoratum; de quo insinatio clamosa processit, quod postquam fuit ad officium pontificale promotus, reus sanguinis, simoniæ, adulterii, sacrilegii, rapinæ, periurii ac dilapidationis multiplicis est effectus; non formidans clericos, orphanos, ac viros religiosos opprimere, testamenta decedentium impeditre, regia iura, contra scientiam dilecti filii nostri Pandulphi Norvicensis eleeti, munire; ac excommunicatione ligatus ingerere se diuinis. Item etiam appellationibus non defert ad Romanam ecclesiam interpositis; statuta generalis Concilii non obseruat; nunquam proponit populo verbum Dei; lingua & exemplo vita prauum subditis præbet exemplum. Coram multis iurauit quod pacem, ipso viuente, Dunelmensis ecclesia non habebit. Conquerente sibi monacho quodam Dunelmensi se a seruentibus suis ab ecclesia quadam fuisse extractum, & vsque ad sanguinis effusionem pulsatum; respondit ei, quod melius factum fuisset, si seruentes episcopi monachum peremissent. Ipse insuper apostolicam regulam, continentem qualis debeat esse episcopus, penitus calcauit in cunctis. Nos ergo, ne alienaे culpæ simus

Concil. Tom. 28.

Gg ii

236 HONORII PAPÆ III. EPISTOLÆ.

auctores, si clausis oculis tot & tanta prædicti episcopi transeamus errata, cum adeo ad nos clamor super his ascenderit, ut dissimulationi amplius non sit locus, dignum duximus ex officii nostri debito descendere, ut hæc an ita sint, vel aliter, videamus. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his & cognita solicite veritate, quæ inuenieritis, vestræ fideliter inclusis sigillis, ad nostram præsentiam remittatis, ut, auctore Deo, quod super hoc faciendum fuerit statuamus. Datum Viterbii, pontificatus nostri anno quarto.

EPISTOLA III.
HONORII PAPÆ III.
AD ARCHIEPISCOPVM COLONIENSEM
EIVSQVE SVFRAGANEOS.

Mandat ne aduocatias ecclesiarum suarum laicis conferri permittant.

*Honorius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus
archiepiscopo Coloniensi ac suffraganeis eius salutem
& apostolicam benedictionem.*

CVM plerique aduocati, ecclesiarum aduocationis obsequium conuertentes in dominationis abusum, ecclesiæ ipsas opprimant & affligant, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ecclesiæ vestrærum dioceſeon, humano amore ac mundano timore postpositis, ab aduocatorum vexationibus taliter defendere studeatis, quod per studium vestrum a suis possint angustiis respirare, nosque solitudinem vestræ commendare merito debeamus. Ad hæc si quas aduocatias vacare contigerit, expresse inhibeatis ecclesiæ ad quas spectant, ne illas conferre præsumant, sed suis current vñibus applicare; illud districtius inhibentes, ne vna ecclesia plures aduocatos assumat, cum ministerium aduocatorum huiusmodi, quod ad ecclesiætranquillitatem noscitur fuisse prouisum, ad vexationem ipsarum per eorum usurpationes constat esse conuersum. Datum Laterani Idibus Martii, pontificatus nostri anno quinto.